B. N. C
FIRENZE
1048
13

1048.13

1046.13

EMVNDI MERCERII

ELEGIA,

DE VITA, OBITV, ET SCRIPTIS
ILLVSTR. V. HVGONIS GROTII,
OLIM SCRIPTA
AD AMPLISSIMVM VIRVM
HIERONYMVM BIGNONIVM.

BIBLIOTECA NACIONAL 572

PARISIIS,
Apud FREDERICVM LEONARD, viâ Iacobæâ,
ſub Scuto Veneto.

M. DC. LXI.

EMVNDI MERCERII

ELEGIA

DE VITA, OBITV, ET SCRIPTIS

ILLVSTR. V. HVGONIS GROTII,

OLIM SCRIPTA

AD AMPLISS. V. HIERONYMVM BIGNONIVM.

TEr *venerande ſenex, æui ſapientia noſtri,*
BIGNONI *Regis Magne patrone tui.*
Quem te ſupra alios coluiſſe fatemur amicos
GROTIVS *ille ſuo lumine pictus adeſt.*
Hunc genus à Magnis decuit traxiſſe Batauis,
Maximus vt merito nomine reque foret.
Artibus ingenuis hoc non præſtantior alter,
Non animo quiſquam ſplendidiore fuit.
Nec quidquam in toto vixiſſet lætius orbe,
Si ſortem meritis poſſet habere parem.
Ille quidem patriæ ſupremos geſſit honores,
Tædia ſed longi carceris inde ſubit.
Carpere ſæpe ſuam voluit gens æmula famam,
At nullis potuit dentibus illa premi.

Accidit hoc illi quoniam conuellere fatum,
Mente pia fatum credidit eſſe ſuum.
Hunc ſibi reſtituens fato prudentia major,
Arcæ confidit liber vt arce foret.
Cumque forent Belgæ ſuſpenſo Marte quieti,
Tutius huc celerem dirigit ille fugam.
Gallia poſt luſtris fouet hunc fecunda duobus,
Conſcia nullius criminis eſſe reum.
Illuſtres animæ Tu, Memmius & Puteani
Huic non ingratam ſponte tuliſtis opem.
Denique ſublimi rurſum ſtatione locatur,
Altius vnde ſuum ſpargat in orbe decus.
Annis quippe decem Sueda legatus ab aula
Federa cum Gallo Rege nouata colit.
Munere quo functus, Regique probatus eidem
Feſtinat Dominam iuſſus adire ſuam.
Aduentu lætata ſuo Regina vocari
Hunc iubet, illius geſtaque cuncta probat.
Nec menſa ſolùm dapibuſque excepit opimis,
At crebris etiam detinet alloquijs.
Quinetiam fidum voluit remanere miniſtrum,
Ac pretio quouis hunc retinere ſibi.

Ipſe tamen nulla potuit ratione moueri
Vt velit ad proprios non remeare lares.
Sed remoræ impatiens aula exiit ille ſuperba,
Quæ tandem reditum non remorata ſuum eſt.
Per mare, per ventos illinc auectus iniquos
Roſtochi morbo Maximus Hugo perit.
Occidit heu! veſtris Germani lumen in oris,
Quo nihil in toto clarius orbe fuit.
Annos qui nouies ſeptenos vixerat vltra,
Hunc ſecli nouies quinus obire videt.
Illius exuuias non vna ſede repoſtas
Materno tellus contegit alma ſinu.
Viſcera Roſtochi præluſtri condita fano,
Delphis oſſa ſuis marmore digna latent.
Morte carens animus, tenuique ſimillimus auræ
Tendit in excelſi templa ſerena poli.
Nec tamen hanc meritis auſus ſperare ſalutem,
At Chriſti ſolo ſanguine fretus erat.
Quod ſupereſt Herôa licet ſemperque licebit
Æterna dignum dicere laude virum,
Nobilibus ſcriptis qui gentes admonet omnes
Iuſtitiam vera cum pietate colant.

Conſpicuis vtrumque notis qui Fedus adornat,
Et lucem obſcuris ſpargit vbique locis.
Errantique fidem nulla cum fraude ſuadet
Vt placitis veterum malit habere parem.
Quiq; nouum infauſti repreſſit dogma Socini,
Vt Chriſto meritum vindicet omne ſuum.
Ordine qui pulcro, celebrique volumine Reges
Pacis & armorum publica iura docet.
Quem tibi deuouit non eſt minus ille celebris
Pro Chriſti vera religione labor.
Qui priſcos Batauûm mores, legeſque vetuſtas
Eruit, occultas ciuibus ante ſuis.
Indica non ſolis commercia cedit Iberis,
Libera ſed cunctis gentibus eſſe velit.
Ardua qui Taciti veſtigia rite ſecutus
Belgica bella ſuo tempore geſta refert.
Scriptaque Vandalicas, Gothicaſque notantia pugnas
In latium Græcis tranſtulit ex nebulis.
Dicta Poëtarum qui carmine Græca Latino
Planius ac metro reddit vbique pari.
Auctores varios ſincera mente recenſens
Quæ male, quæ verè ſcripta fuere notat.

Portus quid pelagi, quid Aratea Cæſaris aſtra,
Quid Muſis memorem, priſce Capella, tuas?
Hos, plureſq; alios junctim numerare libellos
Hujus non fuerit temporis atque loci.
Interea curis ne deſit gratia tantis,
Hæc præmiſſa breui claudimus elogio.
Ænea qui Magno ſtatuit vir ſummus Eraſmo
Aurea pro meritis hunc ſimulacra decent.
Grotius ille fuit toto celeberrimus orbe,
Grotius ætatis gloria magna ſuæ.
Eximios cujus miratur ſponte labores
Quiſquis eos æqua voluere mente cupit.
Si quæ pectora ſint liuore affecta maligno,
Hæc votis non ſunt præualitura bonis.
Quinimo poſteritas ſine lite fatebitur omnis,
Tempora majorem nulla tuliſſe virum.
Nos quibus ille fuit notiſſimus, addimus vltro,
Vix latura ſibi ſecla futura parem.
Laudibus hæc leuiora ſuis ſpes nulla fauoris,
Sed vetus inter nos fundere cogit amor.

99 957423